ellanea

LECHOPOEDEIA,

SEV

In vernâ renouatione studiorum

ACADEMICORVM

ORATIO.

De Academicâ institutione in Celebri frequentiâ ad Aedes S. Annæ, aramq; D. Ioannis Cantij S.T.D. & Profess: in Academia Crac. Die 6. Calen: Maij. Anno 1638.

A

Nobili STEPHANO de Radzanow NISZCZYCKI, S.R.M. Cubiculario, Dialecticæ Studioso,

Habita.

Ex palæstra Dialect: Nouod. per: M. Nicolaum Sulikowski Almæ Vniuersitati reuerenter oblata.

GRAC. Ex Officina Francisci Cæsarij.

Laurentius Grimalius Lib: I. de Optimo Senatore.

Ciues in Academiis educari debent ad honestè viuẽdum & Rempub: gubernandam: ob idq; Respublica curare debet, vt scholas habeat virtutum omnium tanquam officinas, ad quas iuuenes sicuti ad messem bonarum artium commeare debent, virtutum disciplinarumque fructus ex his reportaturi.

Illustri & Adm: Reuerendo Dño,

D. MATTHIÆ DRWĘCKI

PRÆPOSITO BIALEN: BRESTEN:
ad Ædes S. Barbaræ, Woynien: P.
Domino & Patrono

S. & P.

INstitutionem Academicam Tibi Illustris & Adm: Rñde Domine, tantò animi ardore dedico, & consecro, quãtò amoris affectu bonorum ingeniorum, altricem Academiam nostram complecti te non ignorem. Cùm enim longo tempore penitus considerarem, quid Tuo amori in Musas Academicas, & meo in Te studio magis responderet, idoneum nihil magis inueni, quod te virum multis nominibus gratiosissimum, fide præstantissimum, moribus amœnissimum, totum ad humanitatem & intimam amicitiam natum delectare possit; quàm institutionis Academicæ commendationem. Tuo enim adminiculo, & sedulitate in Podlachia, ita Academicæ literæ florent atq; vigent, quas toto pectore tueris, ornas, alis, foues, vt illa regio deserta, nouam faciem pietatis

 inducre,

induere, & quasi ad omnem humanitatem renasci videatur, cùm literis Academicis tuo præsidio propagatis sese animari cognoscat. Ne longius abeam, quicquid præstantissimum, quicquid honestissimum, & quid per quam excelsum ac sublime, in illo orbe reperitur, quo turpitudo scelerum eradicatur, & virtutum splendor inseritur, id totum maximis tuis vigiliis, labore etiam non mediocri sumptu comparatur. Nobilitata est tua virtus, non modò per vniuersam Podlachiam, Volyniam, verùm etiam in Alma Vniuersitate nostra Crac. Emporio omnium scientiarum, sedulitas in propagandis studiis literarum & pietatis laudata: vt alter Coll: Bialen. meritò conditor possis nominari. Etenim si piæ memoriæ Christophorus Wilski, qui fundamenta ampla & decora iecerit, si Illustrissimus Princeps Alexander Ludouicus Radziwil, copiosam dotem assignârit. gloriosum nomen apud consequentem posteritatem conditoris obtinuit: tum tu profectò Reuerende Domine, quòd vltimam manum apposueris, quòd Priuilegia ab Academia Cracouiensi receperis, alter parens illius Collegij omnino es prædicandus. Tuo labore effectum est, vt illa ædes Musarum confirmaretur recta, tu ærarium tua industria assignasti, ex quo

præmia

præmia laborum suorum Professores, de Repub: literaria bene meriti desumerent. Qui locus tam multorum ingenia excitat, vt in contentione eruditionis, in puluere literario, iucundum fore, sub onere professionis consenescere arbitrentur. Non torpescent talium hominum ingenia, quæ tua liberalitate ornas, foues, promoues, nec virtutum Tuarum Heroicarum memoriam vllo temporis impetu consumi patientur. Fuisse aliquando in Podlachia Matthiam Drwęcki, Illustribus Præsulibus similem, Lubranscio pietate, Olesnicio liberalitate, Tylicio & Gabrieli Wladislauio amore, erga bonas literas, & si quid aliud in singulis priscorum monumentis insigne fuisse legitur, in Te vno comparabunt. Quod si Tuum beneuolum erga me animum recensuero, sic profectò non dubitabo affirmare, Te R. D. probasse Tibi ipsi neminem vnquam hominem chariorem fuisse quàm me Tibi, nullum vnquam periculum pro meo bono fugisse, pro gloria contendisse, honores meos ad Ecclesiæ bonum & salutem meam singularibus suasionibus gubernasse. Gratus igitur, & non immemor tantorum beneficiorum, si non referre gratiam, certè propensam promptamq́ animi voluntatem mediocri hoc officio declarare volui. Tuorum

 enim

enim beneficiorum apud me memoriam nolui consenescere, verùm ita quotidie animo obuersari, vt ne tum quidem cùm præsens experirer, aut recentior, aut etiam iucundior humanitatis tuæ sensus esse potuerit. Habe ergo me memorem gratitudinis erga te meæ, iam non Oratione tantùm inculta & puerili, sed re quoq; declaratæ. Precabor ego Deum, qui istas virtutes largitus est Tibi, vt easdem velit sibi, Ecclesiæ, Patriæ, faustas ac felices esse, & qui istum concessit ardorem animi in Musas Academicas, idem benignitate suâ Diuinâ prouehat, beneq; fortunet incolumem. Vale Patrone amplissime, nostrasq; vt cœpisti colonias Academicas illis in regionibus illustri pietate & auctoritate Tua promoue.

Illustri D.T.
addictissimus

M. Nicolaus Sulikowski
Profess: Dialect: &
R. Nouod.

ORATIO.

SI quis antea mirabatur, Clariſsimi Doctores, Excellentiſsimi Profeſſores, cæteriq; Nobiliſsimi Auditores, quid cauſæ eſſet, quòd in Regno Poloniæ, propugnaculo totiꝰ Chriſtianitatis, & theatro quaſi militaris diſciplinæ; Heroes inuictiſsimi, belli Duces peritiſsimi, Senatores prudentiſsimi, & virtute & rerum gerendarum, dexteritate celeberrimi Equites inuenirentur, qui publicum bonum, Eccleſiæ, & Patriæ integritatem, conſtantiſsimè defendere eniterentur. Hoc tempore miretur potiùs, vnumquemque Ciuem, magis communi vtilitati, ad conſeruandam amplitudinem Regni, quàm ſuis commodis proſpicientem. Non expedit de vniuſcuiuſq; conſtantia cogitando memoriam repetere, vnâ tacitâ cogitatione mentis reuocare poteſtis, qui ex ampliſsimo ordine Senatorum & corona Nobilium, omnibus ornamentis Rempublicam ornarint, auxerint, conſeruarint. Eos autem qui cultum diuinum, pietatis incrementa, ſtudiorum vim, quibus humanæ mentes excoluntur, erexerint, promouerint, firmârint: non ſolùm lætos & hilares omnes labores ſuperare, ſed etiam doctiſsimos fortiſsimis, atq; optimis Ciuibus, nunquam morituram laudem comparare cum diſpendio propriæ ſalutis. In quo cum multa ſint incredibilia, tum hæc laude digna, quia ſingularia, quod

iam

iam non per hos diurnos labores, non per ingenia varijs disciplinis exculta, & multiplici scientiarum dote propagata, sed per generosam Regni prolem, optimam iuuentutem, optimis Ciuibus, & Regno & Ecclesiæ, ornamentum adferre conantur. Et quod maiores nostri ferro, armis, manu & multitudine exercitus propágàrunt, idem suo studio, & iuuentutis in Regno institutione doctrinâ se promoturos pollicentur. Feruet in illis incredibili ardore bonæ institutionis genius, ad difficillima quæuis pro vsu & ornamento Regni aggredienda, professio professioni, Lectorium Lectorio, commutatio alteri commutationi palmam præripere gestit. Non deest in illis flamma hæc nobilis, vt pietatem in iuuenum animos inserant, sudant, contendunt, vigilant, commoditati & valetudini non parcunt, vt Academicæ institutionis alacritas, nequaquam de veteri suo feruore remisisse videatur. Quicquid studij & beneuolentiæ, quicquid gratitudinis erga Regnum Poloniæ habent, quicquid voluntatis, id oblata occasione testari volunt candide. Maior in illis non est voluptas, nec solidioris gloriæ possessio, quàm vt Regni Poloniæ amplitudinem quocunq; modo promouere possint. A Vobis modò Ornatissimi Auditores, ea qua par est animi submissione peto, vt me de rebus hoc loco & tempore conuenientissimis, hoc est de Academicâ institutione aliquot verba facere meditantem, beneuolâ attentione, quod idem Vestra humanitas vna mecũ à Vobis postulat sublevetis.

Magna

Magna quidem felicitas priuatis familijs ex perfecta iuuenum institutione consurgit, cùm filij parentibus succedentes, vniuersam familiam, & prudentiâ morum, & integritate vitæ, non modò tuentur & conseruant, sed etiam exornant, & amplificant, sed maior publico Magistratui claritas ex cultura animorum iuuenilium exoritur. Nam perfecti Ciues efficiuntur, viri ætate, moribus, & sapientiâ insignes euadunt, qui præsertim à teneris annis virtutum honestis actionibus exercendis consuescunt. Nam vbi perueniunt ad maturiorem ætatem, regũt Rempublicam feliciter, prudenter in Senatu sui Regni consilia proponunt, in consessu virorum Sapientum, cum dignitate & laude dicunt sententiam, veram religionem, fidem, sacra, Romanorum Pontificum sapientiâ Cæremonias institutas, à Maioribus acceptas, sacrosanctè per contentionem ab aduersariorum impetu, cauillationibus, imposturis defendunt. Etsi necessitas exigat, ipsiusque rei negotium extorqueat, cum fortunis vitam chariorem rebus omnibus vouent atque consecrant. In bona institutione, & Regnorum felicitas, & humanæ vitæ stabilimentum statuitur, quam qui reijcit, & gloriam & virtutem reijcere videtur. Illa facit regale imperium, amplitudinem regiam, reuerenter honorare, cum submissione obsequiorum, à tenerâ ætate ad labores tolerandos alacriores, & commodiores homines reddit, ad superandas difficultates vires corroborat. Græcia, vbi virtus domicilium suum fixerat, tantopere coluit institutionem

animi, postmodum ipsa Roma domina gentium complexa est, vt ex ea ad duo munia Reipub: applicaret, ad Magistratum videlicet, & militiam iuuentutem. Hæc duo Regna, quasi duo Capitolia in toto orbe visenda, & spectabilia, & obseruatione legum, & armorum & fortitudinis gloriâ, & sapientiæ laude illustres bene intellexerunt, non præsidijs magis, non murorum sepimentis, non fossarum munitionibus, non turrium propugnaculorumque firmitate, vrbes fulciri, quàm bona institutione vel rei militaris vel doctrinarum consuetudine. Cognouerat optimè Plato grauissimus Præceptor honestatis, non posse genus humanum absque gubernatoribus optimis, vel honestè viuere, vel feliciter gubernari. Præterea nunquam fore bonos in Repub. Ciues, nisi viri sint probatissimi, statim videlicet à tenerâ ætate diligenter exculti; vbi enim disciplina & institutio accesserit, non adolescentia sectatur insolentiam, adstrictam superbiæ, non iuuentus assueta moribus bonis, dedita pietati, transit ad solutiorem vitam, non eneruatur mollitie, non luxu dissoluitur, non voluptate effæminatur, sed ad bellicos labores tolerandos, ad excipiendos ictus hostium, in sole & puluere bellico, ad aduersam fortunam vincendam, conculcandam, generosa & fortis informatur. Viri autem non student auaritiæ, sed quid ius, quid æquitas, quid libertas valeat, maturo iudicio & prudentiâ grauissimis Reipublicæ negotijs confirmatâ prouident, atque ne vllam etiam minimam iacturam Respublica subeat, diligenter

prospici-

proſpiciunt. Cognouerunt generoſi Regum & Principum Poloniæ genij inſtitutionem animorum, munus eſſe ſummi regnorum omnium protectoris & gubernatoris eximium, ac proinde Academiam ex ſacra fundatione, ex ſecreto Dei conſilio erexerunt, ad æternùm victuram Ciuium poſteritatem, multiplici dote ornarunt, propagarunt, propagatam priuilegijs & legibus libertatis munierunt, munitam confirmatamq; impensê amarunt. Deum bonum ad iucundiora deflectit oratio mea, ſi mentes Diuinæ Fundatorum cælitùs deſcenderent, & ſua corpora egregijs geſtis, & virtutum ſplendore reſplendentia aſſumerent, ſpectarentque Regnum Poloniæ diligentius, viderent in Scholis eruditionem, in templis ſanctitatem, in Senatu conſilium & prudentiam, admirarentur Clerum integritate vitæ ornatiſsimum, Profeſſores Academicos comitate morum elegantiſsimos, pietatis feruore clariſsimos, Lectoria numero ſtudentium frequentiſsima, vel eruditiſsimis in omni ſcientiarum genere viris abundantiſsima. Senatum nec minùs grauem quàm Areopagytarum, nec minùs celebrem quàm Spartanorum, nec minùs ſplendidum quàm eo tempore Romæ fuit, quo illum Cynæas ex Regibus conſtare dixit. Faterentur Curules ſellæ, quàm conſultores optimos, & optimè Reipub. conſulentes ex inſtitutione Academica habeant, qui non rem priuatam, ſed publicam vtilitatem ſpectant. Dicerent domicilia religioſis familijs conſecrata, vnde viros pietate vacantes, lectionibus deditos, ſcriptis ingenioſis fidem

Catholicam propugnantes, in ſuis ordinibus includant, non aliunde niſi ex Academica inſtitutione. Clamaret militia & audacter iactaret, præſtantiſsimos Duces, vigilantiſsimos militum Præfectos, legionum Ductores, Tribunos, Primipilos, Centuriones in rebus neceſſarijs adeſſe, niſi ab inſtitutione Academica. Dicerent inſuper municipia & oppida, vnde Aduocati iuris ciuilis periti, iuſtitiæ patroni, æquitatis amantes, iniurias à pupillis propulſantes habeant. Ad extremum, Aulæ ipſæ Regum & Principum ampliſsimæ teſtarentur, Notarios integerrimos, propugnatores æquitatis fideliſsimos, ratiocinatores vectigalium peritiſsimos, non aliunde ſe habere niſi ex gremio Academiæ. Non amplifico Oratoriâ conſuetudine rem, non attollo, non excito admirationes, ſed cogitate voſmetipſi, quid maius huic Regno, aut præſtãtius inſtitutio Academica præſtare potuit, plurimi hanc amant, & antequam cognouerunt amare cæperunt, cùm ob fidelitatem in inſtituendo diligentem, tum fidelem diligentiam in excolẽdis in eloquentiæ ſcientiâ ingeniis, quâ florentem Rempublicam Polonam ac beatam, alijsq; Regnis ampliſsimis anteire vident. Quot enim eloquentiſsimos viros cognoſcunt, tot ſe aſpicere clariſsima lumina iudicant. Vos Nobiliſsimos Iuuenes in teſtimonium aduoco veritatis, & mei ſenſus iudices appello, qui non Iuris ſtudio, non Philoſophiæ diſputationi, non Theologiæ contemplationi, non Medicæ facultati, animum concedere vultis, priuſquam eloquentiæ gemmeum theſau-

rum

rum comparare laboretis. Constat enim Vobis, luce meridiana clarius, eloquentiam esse Iurisprudentiæ clypeũ, Philosophiæ telum, Theologiæ scutum, Medicinæ certum antidotum; non possunt enim morborum dolores medicamenti efficaciâ, aut herbarum virtute in corporibus humanis sedari, quàm linguæ suauitate flexanima. Promanant ex Paradiso quatuor flumina, vt lux veritatis Historia attestatur, cum quorum decursu, aurum, argentum, gemmæ, lapilli pretiosi, in orbem propter vsum & splendorem hominum adueniunt. Ex Academia tanquam ex Paradiso, non quatuor, sed innumeri fluuij per totum Septemtrionem profluunt, vbi sunt gemmæ, vbi aurum, vbi lapides pretiosi, quibus Diademata Regum distinguuntur; Virtutes inquam & Scientiæ. Ex Academia margarita illa pretiosa, pura synceraque Religio, quam omnia bona concomitantur promanat; tum aureus ille imber pietatis, in Diuos, in Patriam, in vniuersum Regnum Poloniæ erumpit, & vberrimè irrigat vniuersos. Sed audio à tergo quosdam susurros, quòd nonnulli ogganiant institutioni Academicæ, Catadromum licentiæ eã esse aiunt. In quo Regno tandem hoc vanissimi homines obijciunt, nempe in eo, quod rigorem & seruitutem tanquam pernitiosissimam pestem execratur, libertatem autem, omni auro pretiosiorem, & animi studio, corporis, omni contentione tuetur. Nouit Academia & optimè nouit, quòd ingenia Nobilium discipulorum seueritate imminuantur, quòd rigore generosa indoles extinguatur

guatur: cùm ad meticulosam potiùs, quàm amicam obedientiam eos constringat, supercilium tetricâ grauitate vestitum. Non enim intelligunt puericidæ tales, qui discipulos immoderatè feriunt, & in perpetuo timore retinent, suam esse culpam, vt quò natura ipsorum propendeat, coniectura fieri nequeat: quinimò animus illorum in hoc ipso obtunditur, & comprimitur naturalis vigor, vt viles & abiecti euadant; ac dum in omnibus suis actionibus impingere se metuunt, semper impingunt, & suo ipsorum odio, in desperationem cadunt, & quod est sanè periculosum, quandoquidem desperatio omnium malorum extremum sit. Bucephalus Philippi post Alexandri Magni Regis generosissimus equus, cùm durius tractatus fuisset, adeò sæuus & refractarius est effectus, vt neque sessorem admitteret, nec vocem cuiusquam pati vellet, ideò inutilis iudicabatur. Aduertit hoc Alexander, & cum indignatione tulit, quòd tam ingenuum equum perdere vellent, accedens eum habena comprehendit, & contra solem stare fecit, quòd eum ex vmbræ metu consternari aduertit. Tunc demum paululum sedato, & cicurato sensim, saltum arripiens, insedit, eumque ad nutum vertit, & ad cursum incitauit, adeoq; obsequentem reddidit, vt herum insessurum, sponte sua, genua submittens, exceperit. Ita liberaliter educati discipuli, destruuntur fucatâ grauitate, Stoicis superciliis expressa, animum ad omnia quæq; natum præclara & honesta ex rigore abijciunt, & statim propter seueritatem infelicem, non solùm

Præce-

Præceptoribus inuidiam, verùm etiam ipsis artibus, atq; institutis laudabilibus odium ac contemptum conflant. In rebus Patriæ prospiciendis, vel publicò bono promouendo tales discipuli, industrij, & felices putabuntur? Credite Auditores, conspectum virorum reformidabunt, in amplissima Corona virorum, Senatorum, Equitum, tria vel quatuor verba, cum timore, propter animum in perpetuis perturbationibus exercitatum proferre nescient, oculi eorum & supercilia peruertentur, vultus pallebit, os titubabit, comæ erigentur, genua contremiscent, vox faucibus hærebit, aut quod ignominiosum erit ad codicillos confugient, inopes in dictis, miseri in factis, turpes in moribus. Academica institutio coniuentia vel saltim minarum remissione facit obsequentes & morigeros discipulos. Instituit eos non cogendo ad plagas, non illis infligendo cicatrices, non querulos gemitus, lamenta excitando, detestationes, diras, non modò in Præceptores, sed etiam in parentes, aut quod pudet dicere in seipsos non commouendo. Fingi hæc putatis, quæ patent, quæ nota sunt omnibus. Benigna est mater Academia, non repudiat, non aspernatur peregrinos, humana est, humaniter omnes pauperes & diuites colit, & obseruat, plebeios & nobiles, exoticos & domesticos, æquali amoris cultu prosequitur, summos, infimos, mediocres, & studio & propensione animi excipit, peregrinos ita fouet, vt domesticos ab eis non secernat, sed eodem iure, ijsdem priuilegijs, beneficijs, honoribus, perfrui secum

patiatur.

patiatur. Non timeo Auditores, ne affectu amoris in studia Academica prouocatus, libentius hæc in matrem Academiam ex sinu cordis aperire videar, quàm verius. Enimuerò etsi eximium id esse debeat, tamen ita communis omnium mater Academia, vt in communi amore, pænè & æqualiter versatur amor meus, non potest verbis exprimi, nec mente concipi, aut calamo exarari, quantum ex Academica institutione vtilitatis Regno, & pietatis Ecclesiæ, & iustitiæ iudicijs proueniat. Quin sic attendite, nempe & sententiam de institutione Academicâ approbate. Delectant vos tanti honores Doctorum, post Regum aut Pręsulum tiaras primi in terris, Academia singulis & vniuersis, tanquam præmium studiorum suorum liberalis mater confert. Rapiunt vos cum voluptate in admirationem Philosophicæ laureæ, quæ homines exornant, & honorum titulis magis quàm fumosæ imagines condecorant, cùm extra fortunam sint, Academia hanc claritatem, tanquam munifica Domina, inter omnes distribuit. Gaudetis, & suprà modum gestire animo non cessatis, quòd viri eruditi emineant dignitate, & digni promoueantur ad honores, promouet Academia tanquam prudentissima Magistra. Plurima eorum exempla habemus, qui nobili genere in Regno Poloniæ claruerunt, Academicorum honorum titulos non minori studio ac alacritate prensarunt, quàm si Romani candidati in Campo Martio sub tempus Comitiorum Centuriatorum Consulatum aut Præturam assecuturi fuissent. Talis

aliquando

aliquando extitit IOANNES à Tęczyn TECZYNIVS, qui vt nobilissimæ familiæ suæ claritatem augeret, Magisterij gradum in Academia assumpsit, & primus in Regno Poloniæ Castellanus Cracouiensis, ornamenta honorum suorum duxit. Talis fuit ZBIGNEVS OLESNICIVS, qui institutionem Academicam tanto dignabatur honore, vt non tantum Contubernium Hierosolymitanum, regali munificentia erexerit & fundârit, verùm etiam insignia quę Baccalaureos ab alijs ordinibus distinguunt, galero ArchiEpiscopali ornatus, publicè per plateas gestare non erubuerit. Talis fuit IOANNES OCIESCIVS, qui in Academia Baccalaureus creatus, ex eruditionis honore ad amplitudinem supremam Cancellariatus in Regno est euectus, qui Capitaneus deinde Cracouien. factus, prudenter & feliciter saluti Reipublicæ prospiciebat. Tales sexcenti alij fuêre, KMITA à Wisnicz, ANDREAS ROZA, IOANNES LVBRANSCIVS, PETRVS TOMICIVS, qui publicis testimonijs probati Academiæ artium liberalium Magistri, postmodum ViceCancellarij Regni sapientes, & sancti Episcopi in Ecclesia Dei vixerunt. Nemo oratione consequetur, Academiæ ardorem animi, quo in amplificandâ vera religione succensa est, quis verbis explicabit, labores eius pro sanctitate, iustitiâ propagandâ, ab eadem susceptos, quis ad viuum exprimet? Erant pestes in Regno Poloniæ, quæ oppida funestabant, vrbes incendebant, Hæresis videlicet & Idolatria. Furebat hæc

pestifera contagio per domos Ciuium, per palâtia Ducum, ædes nobilium pariter deformabat, & crebris funeribus, illorum animos æternis flammis cremandos absumebat. Aderant ex Academicâ institutione viri, veluti à Minerua adamantino scuto doctrinæ communiti Persei, qui monstra hæreseon fugarunt ac profligarunt. Acceperunt arma ad tales Hydras superandas, non ex Lemniacis insulis, sed ab Academia, & gloriosissimè vicerunt. Indixerat bellum Lutherus, cum suis infelicissimis quos exclusit ad victimam Dæmoni pullis, Ecclesiæ Romanæ, tanquam Terræ filius, cælitibus periculum minitabatur: ex Academia tâquam ab áere fulmine ictus iacuit. Monstra illa quæ ingentem flammam per Saxoniam perflabât, Bohemiam exurebant, Vngariam in cineres conuertebant, incendio maximam partem orbis absumebant, STANISLAVS HOSIVS, Aegide Academicæ institutionis, communitus in Concilio Tridentino, fæda hæc monstra vicit, superauit, & trophæum perpetuum in Ecclesia Dei, ex hoste immanissimo defixit. Non est opus hic longum numerum virorum doctorum in Academia educatorum, qui inueteratam vetustate audaciam hæreticorum compresserunt, recensere; quos omnium ætatum ordo mirabitur, & posteritas perfectam in eis sapientiam, simul quoq; amorem, syncera religionis propagandæ effigiem deprædicabit. Fuit ex Academiâ subtilis, acutus in refellendis Hæreticorum erroribus Socolouius, fuit solidus, vbique pius, grauis, modestus, & sublimis,

Regibus

Regibus Poloniæ gratus, & consequenti posteritati admirabilis. Non poterat sanè ex tali institutione, nisi talis & tantus vir euadere. Vnde plurimi sacræ eruditionis Antistites, & profanæ disciplinæ, Ciues docti prodiêre. Testis est Vngaria, quæ ab Academicâ institutione olim subtilissimos Doctores accipiebat. Testis est Bohemia, Morauia, quibus illa ex Lectorijs suis grauissimos & eloquentissimos verbi Dei præcones suppeditabat. Testis est Prussia, quæ huius alumnos, post modum suorum Magistros, & aduersus Hæreticorum insanam stultitiam constantissimos Catholicæ fidei defensores, acutissimos disputatores, non sine magna animi voluptate spectabat. Imò testis est vniuersus orbis Christianus, quod Academia pro Ecclesiâ charissimâ, cui semper se, fortunas, vitam debere confitetur, constantissimè opposuerit. Delineaui vt potui institutionem Academicam, non ita quidem vt excellentia eius postulabat, hoc enim in tanta breuitate temporis vix aliquis ex summis illis eloquentiæ proceribus, præstare valuisset, sed prout facultas virium mearum permisit, & grati animi erga Matrem Academiam propensio. Studeamus per Deum immortalem, hanc scientiarum conseruatricem, magistram institutionis, vtilem patriæ & gloriosam, Regno necessariam, sedulitatis Archetypon, humanitatis aram, nulli bonorum inuidiosam, nulli malorum addictam, matrem modestam, innocentem velimus ornare & defendere. Ecce nobis vbera scientiarum quæ maximè cuiq; in hoc Regno sunt

necessa-

necessariæ, propinat. Nam exceptis illis scientijs, quæ de natura rerum, de moribus hominum, de conuersionibus orbium cælestium, & eorundem conditore tractant, Poëtam ingeniosissimum, Oratorem disertissimum, Historicum grauissimum, Geometram diligentissimum, Dialecticum neruosissimum, Grammaticum eruditissimum, & vniuscuiusque artis Professorem ac Doctorem excellentissimum, quorum optimis ingeniorum dotibus fruamur. Hoc præcipuè verno tempore, cùm miles se ad arma accingit, belli labores sustinere non dubitat; agricola vomerem arripit, arare contendit; nauclerus cimbam conscendit, nauigare percupit. Nobis Studiosis patent Lectoriorum portæ, aperta sunt Classium ostia, manè, meridie, vesperi, quocunque tempore, quacunque hora quicquid artis postulamus, modò re ipsa non voto tantùm velimus & reperiemus.

DIXI.

